

Johann Christian Burgmann

**Rectore Academiae Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino,
Domino Friderico, Duce Et Principe Mecklenbvirgico Haereditario ... Ad Servatoris
Orbis Ferias Natales, Optato Redevntes, Et Spirituali Gavdio, Ritvqve Christiano
Peragendas, Excitavrvs, Messiam Propheticvm Temere Vellicatvm Delineat, Et
Svrcvlo Isai Sev Radice lesse : Es. XI, 1. Illvstrat**

Rostochii: Typis Io. Iac. Adleri, [1754?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876565690>

Druck Freier  Zugang





T. 512.


—
1754 Weihn.

~~M-1256. 329.~~

W. 1754

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
DVCE ET PRINCIPE MECKLENBURGICO HAEREDITARIO,
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE ITEM
SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET

STARGARDIAE DYNASTA,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO



AD SERVATORIS ORBIS FERIAS NATALIS,
OPTATO REDEVNTES,

ET
SPIRITVALI GAUDIO, RITVQVE CHRISTIANO
PERAGENDAS, EXCITATVRVS,

MESSIAM PROPHETICVM,
TEMERE VELLICATVM DELINEAT,

ET
**SVRCVLO ISAI SEV RADICE
IESSE,**

ES. XI, 1. ILLVSTRAT,

ACADEMIAE PRO - RECTOR

IOANN. CHRISTIAN. BVRGMANN,

S. S. THEOL. D. ET PROF. P. O., FAC. THEOL. ET
MINIST. ECCLES. SENIOR.



R O S T O C H I I,

TYPIIS IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. AVL. ET ACAD.
TYPOGRAPHI.

M. 1256 329

FRUCTUS ALIQUANTUM MENTIS...
GERMANICO PRINCEPS AC DOMINO
DOMINO FRIDERICO
DICE ET NUNCIO...
PRINCEPS VANDALORUM...
SACERDOTALI...
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO



AB SERVATORIS GRAS FERIAS NATALIS
OPTATO...
SPIRITUALI GAUDIO...
SERVICIIS...
MESSIAM PROPHETICVM

MESSIAM PROPHETICVM
TEMERE VELLICATVM DEINDEAT

ET
SVRGVLO ISAI SEV RADICE

IESSE

ET XI. II. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII.

ACADEMIAE PRO-RECTOR

IOANNI CHRISTIANI BURGEMANNI

S. S. THEOL. B. ET PROF. P. O. FAC. THEOL. ET

MINIST. ECCLES. SENIOR.

ROSTOCK

ROSTOCK

IO. IAC. ADLERS, AEREM. PRINC. AVL. ET ACAD.

ROSTOCK

Handwritten notes or signatures in the bottom right corner.



Qua voce Nathanäelem in itinere sibi et comitibus obuiam factum (quem a Bartholomaeo, apostolo, haud differre, viri docti coniiciunt) (a) Philippus gaudio exultans adpellat, in-
 quiens: quem scripsit Moses in lege, et Prophetæ, inuenimus, IESUM. Ioann. I. 46.; eadem nos merito adcedimus, mutuoque excitamus, hilares sumentes dies festos, Filio DEI incarnato sacros, magnum pietatis mysterium, immota fide complectentes, summum beneficium, intensissimi DEI in homines adfectus documentum, grato corde aestimantes, ore opereque concelebrantes. Persuasissimus erat Philippus, adesse Messiam, eumque esse IESUM, quem oculis conspexerat, et Christum esse luculenter deprehenderat. Vtrumque peraeque ac Andreas c. 42. verbo εὐρήκαμεν innuit. Nam inueniri dicuntur non solum res, quibus caruimus, quas adpetimus, dum contra expectationem se offerunt; verum personæ etiam, quas desiderauimus, quando præter opinionem obuiam fiunt, certisque agnoscuntur indiciis b). Ne vero diffidentiae vel ambiguitati locum relinquat, inuenisse se IESUM adfirmat, quem Moses in lege, seu libris suis, quoad de Messia testimonium dicunt Io. V. 46., et Prophetæ, qui eiusdem testimonium perhibent Act. X. 43., h. e. omnes V. T. scriptores Matth. XI. 13. Luc. XXIV. 27. scripserunt, descripserunt, designarunt. Num ergo Philippo, quaecumque Moses et Prophetæ de Christo prænuntiauerant, perspecta fuere? Num ista omnia in IESUM, quem intuitus erat, conuenire, exploratum habuit? Neutrum adserere ausim. Quis existimauerit, hominem illiteratum (forte piscatorem) eundæ Mosis et

A 2

Pro-

(a) GVIL. CAVE *antiquitat. apostol.* p. 546. edit. 1696., plures

(b) FRID. AD. LAMPE *Commentar. Euang. Ioann.* Tom. I. p. 456.

Prophetarum vaticinia mente complexum esse, et intra tantillum temporis, quod cum Christo versatus fuerat, in memoriam reuocare, alius secum reputare, et cum Iesu praesenti, quotquot impleta iam erant, conferre potuisse. Ignorantiam potius Iesu quamdam prodit, et geminum de Messia errorem, addens, eum, quem inuenerat, esse *filium Iosephi, Nazaretho oriundum*. Sed Messias virgine, matre viri experte, et Bethlehemi Iudaeae nasciturus erat; sicut etiam Iesus Maria, virgine et sponsa, non vxore Iosephi, Bethlehemi, non Nazarethi Galilaeae in lucem editus fuerat, *Matth. I. 18. sqq. II. 1. sqq.* Isti autem defectus, fidei non imminuunt *πληροφορεῖν*, qua Philippus eminebat. Suis etenim verbis vnice subiectum ostendit, quod inuenerat, non simul criteria, ex quibus illud cognouerit. Messiam a Mose et Prophetis praedictum se reperisse; non autem, se eundem ex characteribus Messiae ratiocinando consecutum esse, significat. Nonne vero alia suppetebant indicia, quae Christum manifestarent? Nonne, quotquot ad illum adcedebant, tam verborum efficacia *Matth. VII. 29, Io. VI. 63. 68.*, quam rerum documentis certiores reddi poterant, eum Prophetam esse, a DEO missum, prout *v. 40. 43. 48-51.* haud obscure docent. Equidem a Propheta ad Messiam vniuersim concludi nequit, attamen hac aetate, qua Messias vel iam aderat, vel proxime aberat, nec alium praeterquam summum Prophetam, praestolabantur, vel praestolari poterant Iudaei, Messias non poterat non censerī, qui Prophetam se comprobauerat. Adhaec praecursor Ioannes, concione poenitentiae et baptismo, Messiae viam iam strauerat, ad eum remiserat, prodeuntem indice monsttrauerat digito *v. 15 sqq.* Neque dubitari potest, ipsum cum Andrea et reliquis colloquentem, de Messia illos instituisse, et, quis sit, iisdem aperuisse c). Quid igitur Philippo ad conuictionem animi deerat, aut retinere illum poterat, quin procul haesitatione exclamaret: *quem scripsit Moses in lege, et Prophetae, inuenimus, IESUM. Freue dich mit mir, Nathanäel, der Messias ist da, ich vnd Andreas vnd Petrus haben ihn gesehen, vnd er hat mit uns geredet, vnd wir wissen aus einem vntrüglichen Kennzeichen*

(c) HERM. WITSIVS *Miscellan. S. Tom. II. Exercit. XVII. §. XXI.* *sqq. p. 595. sq. edit. 1712. vbi de Nathanäelis fide differit.*

then, dass er der Messias sey d). Deducerent ista me ad magnam expectationem Messiae, quae tum temporis et diu ante tenuit Iudaeos, non pios tantum quosdam, non inferioris fortis homines, sed ipsos sacerdotes legisque peritos Ioann. I. 19. sqq. Matth. II. 4; nec minus Samaritanos, Io. IV. 25. 42.; et, ut paucis dicam, omnes Israelis posteros, duodecim tribus, Aetor. XXVI. 7. e) Hanc fugillant Deistae, ne ex Mose atque Prophetis illam hausisse, et, quod inde consequitur, Scriptores V. T. Christum praedixisse existimentur, Varios agunt cuniculos. Mox paucos in spem istam ingressos fuisse; mox sub aduentum demum Christi, vel annis paullo superioribus Messiae desiderium animos inuasisse, Romani imperii taedio et molestiis depressos; mox opinionem eandem ab errore, et Prophetarum adlentationibus profluxisse, contendunt. Sed missis, quae longius a proposito diuertunt, ad ea me confero, quae Moses et Prophetae de Messia scripserunt, seu vaticinia V. T., quorum gratia confessionem Philippi praemisi. Is IESUM esse Messiam, ex aliis potius, quam his quidem, intellexit testimoniis, quae illius tamen characteres habere, tacite innuit; at nobis, quibus IESUM oculis corporis et coram intuendi negata est copia, haud planius in promptu est documentum, quam quod V. T. subministrat, quia testimonium IESU est Spiritus Prophetiae Apoc. XIX. 10. A triginta fere annis in Anglia disputatum fuit, num miraculorum, an vaticiniorum maius sit robur? (f) Cautè eiusmodi pro-

blemata

A 3

- (d) Ita S. Vener. D. HEVMANNVS Part. III. der Erkläerung des N. T. p. 68. qui inde ap. 57. huc conferri potest.
- (e) Vid. RICH. KIDDERS *überzeugender Erweis, dass JESUS der Messias sey*, Sect. I. Cap. II. §. 2 p. 25. ed. 1751. et praesertim D. EDVARD. CHANDLER, Episc. Dunelmensis, 1750 defunctus, in der *Vertheidigung der christl. Relig. aus den Weissag. des A. T.* KIDDERO adiecta, C. I. II. p. 994. sqq.
- (f) Aciem, quam 1724. instituerat COLLINVS, odio aduersus TH. SHERLOCKVM incitatus, instaurauit D. CONYERS MIDDLETON, 1750, eodem anno extinctus. De posteriore vid. Celeb. v. WINDHEIM sub finem praef., quam MIDDLETONI *Vntersuchung von den Wundergaben* praefixit, et R. ALBERTI Part. III. der *Briefe* p. 550 sqq. qui p. 555, de Britannis obseruat: *man webret sich lieber mit dem Beweise von den Wunderwercken.*

blemata comparati decidenda sunt, ne vel adfertiones, vel rationes alterutri parti sint fraudi. Interim plerique, qui miraculis primum deferunt locum, respectu quodam, vaticiniorum potissimam habendam esse rationem, non dissententur. Alia namque est quaestio generalis: num religio christiana sit vera? alia specialis: num IESUS sit Christus, seu Messias verus, a V. T. scriptoribus designatus? Ipse THOM. SHERLOCKIVS, Episc. h. Londinensis inquit g): *Vm nun zu wissen, ob Iesus Christus wirklich dieselbe Person sey, von der Moses und die übrigen Propheten gezeuget - - ist der Beweis nothwendig, der zur Bevestigung der Wahrheit des Evangelii aus den Weissagungen der Propheten hergenommen wird. Die Wunderwercke können hier keine Dienste leisten.* Eripere haec nobis praesidia conantur Iudaei recentiores, qui ad Regem mundanum, qualem etiam nunc opperiantur, V. T. oracula rapiunt, quamuis geminum, plerique venditent Messiam, alterum ben David, orbis domitorem, alterum ben Joseph, humilem et perimendum, vtrumque eadem, vt suspicatur CHRISTIAN SCHOETTGEN, comprehensum persona h). Eadem tibi inflavit medicus Britannus, qui ab anno 1737. philosophi moralis nomine innouit, THOM. MORGAN i); sed non alio consilio, quam vt christianae religioni et christianis illudat. Sententiam illius de Messia in tres digessit theses Ven. RAMBACHIVS k), quarum prima haec est: *dass der prophetische Messias gerade ein solcher sey, dergleichen die Juden in den Tagen Iesu erwartet, nemlich ein Erretter der jüdischen Nation, ein weltlicher Regent etc.* Rectiora discere possent recutiti hodierni peruicaces a maioribus, quorum saniores de Messia sententias, et propheticorum oraculorum interpretationes studiose conges-

runt

(g) *Vom Zweck und Gebrauch der Weissagungen Part. I. consider. II. §. 17. p. 46. 47.*

(h) *Libro germanico: Iesus der wahre Messias aus der alten und reinen jüdischen Theologie dargethan und erläutert 1748. L. II. de persona Messiae p. 511-517.*

(i) *Scripta et aduersarios eius commemorat D. JO. LELAND im Abriss der [wornehmsten] Deistlichen Schriften epist. IX. p. 235 sqq. nec non die Hallische Bibliothek Vol. V. p. 130 sqq.*


(k) *Praef. KIDDERO 1751. praefixa. §. V-IX.*

runt et laudarunt viri doctissimi, o) Alii Messiam quidem non amplius sibi pollicentur venturum; vaticinia tamen Prophetarum de Christo manifestato, typico quam litterali sensu promptius capiunt quamplurimi. Ne invito autem N. Tto, quo praedictiones V. Tti in Christo impletae esse feruntur, id fieri credatur, typos quos vocant, resoluunt in allegorias, allusiones, adcommodaiones (quas nonnumquam distinguunt) inanes; easdem a Iudaeorum repetunt institutis, a Christo vero et apostolis non nisi *καὶ ἀνθρώπων* usurpatas esse, perhibent. Vicio non immerito vertitur IO. CALVINO, quod plurimas de Messia praedictiones aliorum retulit, p) veritus, ne, si de Christo easdem explicaret, Iudaeis derisui futurus sit. Num igitur ab hostibus Redemptoris nostri profigatis, integra petenda est V. Tti exegetis? num Euangelistarum et Apostolorum testimonia postponenda sunt iuniorum Rabbiorum interpretamentis? q) CALVINI errores emendare instituit IO. COCCEIVS (r) et quandoque feliciter emen-

- (o) PETRVS ALLIX *iudicio ecclesiae veteris Judaicae adversus Vnitarios*, Lond 1699, impresso, et 1707. german conuerso C. II. sqq p. 9. sqq. et SCHOETTGEN *horar. hebraic. et Talmudicarum Tom. II. 1742.* eiusque L. II. III. denno insertis vernaculo libro de Messia, paullo ante excitato De Paraphrasibus Chaldicis sigillatim comparentur JO. HENR. MICHAELIS *diff. de Targumim usu insigni antiudaico in doctrina de persona Christi*, JO. CHRISTOPH. WOLFIVS *biblioth. hebraicae Part. II. p. 182. sqq.* et S. Venerab. D. JO. GOTTLÖB CARPZOVIVS, Theologus semisaecularis, cui iubilaeum ministeriale nuper celebratum, impense gratulor et auspiciatum faustumque intime comprecor, *Critica S. V. T. Part. II. C. I. §. VI. p. 477. sq.*
- (p) *Commentariis in S. S. seorsim excusis, operumque Tomis VII. prioribus 1667. recufis.* Ita v. g. *Commentariis in Isaiam ad C. LXI. v. 1. p. 519. edit. Genev. 1559.* scribit: *interpretes sine controuersia ad Christum haec restringunt. - - Hoc rident Iudaei, quod inconsiderate trabantur ad Christum, quae aliis quoque Prophetis congruunt.* Comp. D. BVDDEVS *Isagog. L. II. C. VIII. §. XII. p. 1721. a.*
- (q) D. AEGID. HVNNIVS *Caluino Judaizante 1593. excuso, C. II. p. 66. sqq.* quo oracula vaticinia, et promissiones scripturae Mosaicae et Propheticae a CALVINI strophis vindicantur.
- (r) Conf. S. Ven. DEYLINGIVS *Obseruat. J. r. V. p. 27. f. r.* *ingens imprudentia est Christum in illis V. T. oraculis quaerere, quae aliorum spectant.*

emendavit : sed intra iustos se haud continuit limites, hypothesebus indulgens, et per coniecturas Christum eiusque regnum spirituale nimium venatus. Nucleus, fateor, Scripturae S, Christus est ; non autem in omnibus eius dictis ; in oraculis maxime Prophetici circumspicte, quaerendus. Aliam, sed deteriorem ingreditur viam RICH. SIMON. §) Iudaeis recentioribus opponit antiquiores, qui geminum oraculis V. Tri dederint sentum, alterum historicum ; alterum mysticum et allegoricum, qui alienus quidem a litterali sit, et nullam vim probandi habeat ; recte tamen a Christo et discipulis, tamquam Iudaeis illius aevi familiaris, adhibitus fuerit. Repudiari eum quidem a Iudaeis recentioribus ; sed admitti eundem posse, quia traditione nitatur, eaque explorata. Num planius sacerdos Pontificius eloqui poterat, oracula V. T. prophetica litterali sensu Messiam haud praefignificasse, eorumque adlegationes, ad praesentium Iudaeorum imitationem in N. T. factas, nervis carere, et in elumbes desinere ratiocinationes ? Pessime, ut Nouum, sic et Vetus Trum torquent Sociniani', quamvis vetus parum curent, suisque commentariis, si a DAN. BRENIO discedas, vix profecuti sint. Oraculis prophetici, quae Christum ut hominem describunt, ceterisque illorum erroribus non obstant, sensum litteralem facile relinquere possunt : at quae de Messiae diuinitate, et satisfactione agunt, vellicant, lacerant, et quando in N. T. adlegantur,

(s) *Histoire Critique du Texte du N. T. C. XXII. edit. Roter. 1689. p. 245 :* pour iuger des raisonnemens que Jesus Christ et ses disciples employent dans les Livres du Nouueau Testament, il faut auoir recours a ce qui se pratiquoit de leur temps chez les Iuifs ; et si l'on trouue que leur maniere de raisonner et d' appliquer au Messie de certains passages de l'Ecriture est conforme a l' usage de ces temps-là, on ne peut les condamner sans leur faire iniustice. Il suffit pour les mettre à couuert de ce reproche, de consulter les anciens Livres des Juifs, sur tout leurs Paraphrases Caldaïques et leurs Medraschim ou anciens Commentaires allegoriques. Ils ont expliqué du Messie dans ces Ouvrages plusieurs endroits de l'Ecriture, qui semblent auoir tout vn autre sens, si on n' a égard qu'à la lettre, p. 246. il est vray, que ce qui est purement allegorique ne peut seruir de preuve positive pour établir vne Religion. Mais lorsque ces allegories sont appuyées sur la tradition, on peut alors les employer et les appliquer a des faits qui sont déjà constans par cette tradition.



tur, ineptis eludunt accommodationibus, quibus, quae de DEO Patre, Dauide, aliis in V. T. dicantur, ad Christum in N. T. vel allegorice, vel secundum hominem referantur. r) Praetexit illas FAVST. SOCI- NVS, eiusque vestigia presserunt adlectatores, v) quos inter GEORG. ENIEDINVS x) summatim complexus est, quae ad corrumpenda V. et N. T. oracula de Trinitate, sigillatim Christi DEltate faciunt, a D. FEVRBORNIO refutatus. y) Remonstrantium praecipuus Exegeta est HVGO GROTIVS, z) quem ceteri haud facile deserunt. Non ignotum autem est vulgatum illud: GROTIVS nusquam in S. litte- ris inuenit Christum; COCCEIVS vbique. Quod licet vtriusque respectu cum temperamento quodam adciendum sit, dissimulari ta- men nequit, quamplurima eundem Prophetarum vaticinia non litte- raliter, sed mystice interpretari, indeque Euangelistarum atque Apo- stolorum accommodationes repatere, prout luculenter docuit D. CALOVIVS w). Quando hic autem GROTIVM adcusasse fertur, quod vnum solummodo V. T. vaticinium de Christo sensu litterali admiserit, et criminationis eapropter a CLERICO insinuitur, vtrum CALOVIVS an GROTIVS criminatoris titulo dignior sit, arbitre- tur

B

- (r) *ωσπερ αγγελος* Sociniana specimina peti possunt ex *Catechesi Ra- couiensi*, in dictis Ps. II. 7. Ps. CII. 26. 27. coll. Hebr. I. 10 sqq. *Jerem. XXIII. 6. Mich. V. 1. rel. p. 153. 163. 175. 227. ed. 1739.*
- (v) Strophas illorum detexit THEOD. HAKSPANIUS *de accommodatione Pboriniana opposita*, *disp. theol. et philol. sylloge* p. 417 sqq.
- (x) *Explicatione locorum Scripturae V. et N. T. ex quibus Trinitatis dogma stabiliri solet*, absque loci et anni mentione, bis, vt monet SANDIUS *bibliotheca Antivirina*. p. 93. impressa, vbi v. c. Ps. CX. 1. de Dauide intelligendum, ad Messiam ex mente Phariseorum spiritualiter *Matth. XXII. 43. sq.* referri, venditat p. 110, et p. 380 *praef. epist. ad Hebr.* scribit: *praemonemus omnia pene testimonia et exempla, quae ex V. T. huc transferuntur, non secundum historiae veritatem et sensum, vt vocant, literalem, sed mystice et sensu spiritali intelligi et allegorice ad N. T. applicari et explicari.*
- (y) *Anti-Eniedino posthumo* 1658. p. 64. 164.
- (z) *Annotatis ad V. T.* 1644. et *annotation in N. T.* 1641 - 1650. prima vice impressis.
- (a) *Bibliis illustratis V. et N. T.* quibus GROTII insertae sunt annotationes.

tur, quicumque verba perlustrauerit *b*) quae dubitare neminem sinunt, CALOVIVM de Psalmis Prophetiis, non omnibus scriptis Prophetiis loqui. *c*) Neque CLERICVM huius culpae arguere sustineo, quamquam impense GROTIUM admiratur, atque assidue imitatur. Idem fatendum est de CLERICI successore IO. IAC. WETSTENIO h. a. defuncto, qui ab adcommoatione, pro qua acriter depugnat, nonnulla excipit dicta *d*): *accedat quis praeiudicatis opinionibus vacuus, ad lectionem V. T., utatur regulis bonae interpretationis, consideret vim et usum verborum, consilium Scriptoris, verba quae praecedunt, et quae sequuntur, an credibile est, illum his auxiliis adhibitis in omnibus illis locis Christum inuenturum, quae in N. T. ad Christum referuntur? an non contra de aliis plane rebus et personis, de Davide, de natione Iudaica, de Salomone, Esaias filio etc. sermonem esse deprehendet - - existimamus, oracula v. g. Danielis de Septuaginta hebdomadibus, et Haggaei de gloria templi posterioris non nisi in Iesu impleta fuisse; non tamen audemus, quaecumque loca ex V. T. in N. T. citantur, in numero vaticiniorum de Christo referre. Grotianae Prophetas de Christo mystice interpretandi methodo haud pauci fauent Magnae Britanniae theologi Episcopales, nec non Presbyteriani, indeque ad allusiones, quas vocant, propensiores nonnumquam sunt *e*): non omnes tamen ita sentire, recentiores controuersiae anti-Deisticae restatum faciunt. Exegesi isti Grotianae occurrere voluit WILH. WHISTONVS 1752, defunctus, *f*) cuncta V. T. oracula in N. T. litteraliter exci-*

b) CALOVIUS ad Ps. CX. 1. et CLERICVS annot. postrema ad h. Ps. Verba CALOVII sunt haec: *Vnicus ille Psalmus est, quem Christianis seu vaticinium de Messia solo explicandum relinquere videtur GROTIUS, quum in caeteris Prophetiis omnibus in alia omnia aperte eat.*

c) Conf. summe Vener. D. HEVMANNVS *dissertation. Sylloge, Tom. I. Part. IV. p. 802.* qui pro GROTIIO exculpando ad eius *Librum V. de Veritate relig. Christ. §. 14 et 17.* prouocat, *not. c.*

d) *Nouo Testamento Graeco edit. receptae T. I. p. 237. 238. ad Matth. I. 22.* Notant eum D. BOERNERVS *dissertat. S. n. IX. p. 180 sqq.*

e) Vid. R. ALBERTI *Part. III. der Briefep. 555, et biblia commentario litterali Anglorum instructa, T. I. discurs. praelimin. §. 184.*

f) *Idiobiographia illius prodit Lond. 1749, regensita Vol. VI. dir Hal*

excitari, adfirmavit g). Qua in parte sicut modum excessit; ita multo grauius hallucinatus est, non versionem duntaxat Alexandrinam, quam N. Tti sequuntur scriptores sacri, verum ipsum etiam fontem hebraeum corruptionis postulare, mediisque violentis restituere temere conatus h). In rem suam haec vertit ANTON. COLLINVS; qui WHISTONVM exagitare, potissimum religionem christianam subuertere constituerat. Duobus enim scriptis, si animum eius spectes, non minus vaticinia, quam miracula, omnemque patefactionem supernaturalem vna cum illius argumentis explodit-i); impietatem vero dissimulat. Miracula separatim considerata nullius esse ponderis, illis tamen vsum aliquem concedi posse, quatenus cum praedictionibus copulentur, seu in V. Tto praedicta sint. Potissima, vnica, et immediata religionis reuelatae praesidia esse vaticinia V. T., partim quia Christianismus in Iudaismo vnice fundetur, et V. T., solus sit verus christianorum canon; partim quoniam apostolus 2 Petr. I. 19. miraculis verbum anteferat propheticum: quas duas COLLINI rationes fictas maxime oppugnarunt, quotquot eum debellandum sibi sumserunt.

B 2

serunt.

lijch. Biblioth. p. 179. sqq. Vitam, scripta et controuersias eiusdem copiose persequitur Ven. RATHLEF in der Geschichte jeztleh. Gelehrten Part. IV. p. 283 sqq.

- (g) Mentem hanc iam 1707 prodidit *Sermonibus S. 1708 f.t. The Accomplishment of Scripture Prophecies*, excusis, quod vberius post exposuit, et vindicauit. Spectant huc *an Essay 1722, a supplement to late Essay 1723, the literal Accomplishment 1724, et Supplement to the Literal Accomplishment 1725*, de quibus vid. *Hall. Bibl. vol IV. p. 420-440* et praeter RATHLEFIVM scriptores controu. Collinianae historici.
- (h) Quam solidissime Pseudocriticam WHISTONI profigauit laudatus Praesul Lubecenf. D. CARPZOV P. III. *Crit. Sacrae p. 781 sqq.*
- (i) Prius: *a discourse of the Grounds &c. 1724.*; posterius: *the Scheme of literal Prophecy &c. 1726.* De vtroque fusius disserit *die Hallische Biblioth. Vol. II. p. 355 sqq. 441 sqq.* Integrum COLLINI systema cum historia controuersiae commemorat ABR. LE MOINE praef. SCHERLOCKI *versioni gallicae praemissa, et germanica RAMBACHII repetita: vt et D. LELAND im Abriss der vornehmsten Deistichen Schriften p. 142 sqq.*

ferunt. *k*) Addit COLLINVS, in toto V. Tto nullum exstare vaticinium litterale, quod religionem christianam doceat; si quae forte mystica et allegorica eo pertineant, illa esse aenigmatica, et obscuriora, quam vt certi quid ex iis colligi queat. Adlegari ea quidem a scriptoribus N. Tri; sed non nisi ad hominem et Iudaeorum gratia, iisque repraesentari imagines factitias ac arbitrarias, quae cum Prophetarum sensu litterali conciliari non possint. Ab hoc tempore de catena Prophetarum perficienda cogitarunt viri docti in Anglia et extra eandem. *b*) Toti dissidiis, quorum partem tantum extremis adtigi digitis, ab iis, qui Christum in ore ferunt, tentatur Messias Propheticus, velut signum cui contradicitur. Nobis exploratum est, Christum in V. T. *πολυτροπως* praesignificatum fuisse, mox per typos rerum, personarum, actionum et euentuum; mox per testimonia Prophetarum, in quibus Spiritus Christi fuit (Petr. I. 11.), seu per vaticinia, quae in litteralia et mystica diuiduntur *i*), quibus adiungi possunt mixta *k*). Omnes praedictiones, veri nominis tales, siue sint reales, siue verbales, vt verbum Dei, non hominum, reuerenter suscipimus, summoque nisu tuemur. Praecipuum tamen locum adsignamus litteralibus vaticiniis, quae fidei gignendae et confirmandae proxime inferuiunt. Haec cum successiue reuelata, et procedente tempore vberius declarata sint, eorum potissimas sedes et classes, mutuosque respectus obseruasse prodest, quo inuicem comparata facilius intelligantur et

(*k*) Scriptores 52 Anglicanos, qui calamum aduersus COLLINVM strinxerunt, recitat D. FABRICIVS *lucę euangelii* p. 142 sqq. quorum numerum alii auxerunt, conf. R. MASCH *im Verzeichnis der Freigeistlichen Schriften* p. 44 sqq.

(*b*) Emerent hos inter THOMAS SHERLOCK, antea laudatus 1725, et WILLIAM BERRIMAN *the gradual Reuelation the Gospel* 1733, quibus adcessit D. JOACH. OPORINVS *in der Kette der Vorherverkündigungen und der Fürbilder in den Opfern* 1745, rec. 1752, vt omittam illos, qui SHERLOKVM contra MIDDLETONVM defenderunt, Conf. S. Ven. KRAFTS *neue theolog. Biblioth. T. VIII.* p. 345 sq.

(*i*) Ytraque desinente persequitur ED. CHANDLER *pt. I. der Vertheidig. Cap. II. III.* p. 1024 sqq.

(*k*) Vid. Vener. D. DEYLING *Obs. S. P. V.* p. 392 sqq.

et vindicentur, prout ipse Saluator exemplum praeiuit, Luc. XXIV. 27. Quaedam illorum a Christo et apostolis iam reclusa et adplicata sunt; alia non item, quae prudenter scrutari atque perustigare decet. Ad posteriora accedere consultum non est, nisi in prioribus animus probe versatus atque exercitatus antea fuerit. In his autem explicandis cauenda est malefana illa adcommodatio, quae sacris scriptoribus detrahit, N. Tri tam doctrinam quam autoritatem labefactat. Illustrabo, quae de Messia Prophetico commentatus sum, quadam ex parte, oraculo, quod festo hodierno conuenit, et *Es. XI. 1.* legitur. De verborum significatu non magnopere laborabo, cum is planissimus sit, nec quoad rei summam dissentiant interpretes 1). Paucis obseruasse iuuat 1. propositiones ratione sensus aequipollentes esse, licet vocibus, earumque emphasi discrepent. Inuito textu, eas diuidunt Pontificii, vt subiecta diuersa constituant, et Mariam infarciant, quae sit virga, sicut Christus furculus *m*). 2. Verba: *de trunco Isai, ad virgam*, et verba: *ex radicibus eius ad furculum* pertinere, seu vtraque ad subiectum restringi, non ad praedicatum referri debere. Licet enim verbum: *exibit*, cum *trunco*, saluo sensu, copulari possit; aliam tamen est ratio verbi: fructum feret, quod in radices non quadrat, a quibus fructus (quibus) repeti nequeunt. Obstat insuper vtrinque accentuatio. *n*) 3. Nomina hebraica: *נצר* et *נצר*, quibus etiam responderet *נצר*, h. l. eiusdem esse potestatis, et ab aliis per virgam, ab aliis per furculum et germen conuerti; a solo autem *נצר* Christus denominatur Nazarenus, Matth. II. 23. *o*) 4. Nomen *נצר* denotare truncum con-

B 3

(1) Vid. *Crit. Anglie. ad b. I. T. II. p. 2377-2387.* Non vidi, qui separatim hoc vaticinium interpretati sunt, praeter D. DORSCHVUM de *natiuitate Saluatoris e radice Iessae eiusque beneficiis ex Es. XI. 1. 1646.* et S. Vener. HOEMANNVM obseruat, vernacula ad b. l. quae extat in COLERI *nützlich. Anmerckung. Samml. I. p. 124-128.* et in illius *Variis sacris p. 259 sqq.* latine recusa est.

(m) DORSCHVUS l. c. §. 26 sqq. et *Annor. ad Es. p. 48. 49.* SEB. SCHMIDIVS *Comment. in Ies. p. 120.*

(n) D. VARENIVS *Comment. in Is. p. 288.*

(o) I. C. WOLFIUS *curis. Philolog. et Crit. in Euangel. p. 46 sqq.*

oifum, non ex antithesi modo, vt COCCEIUS opinatur p); sed per ipsam vocis significationem, *Hiob XIV. 8. Es. XL. 24.* Radix superest apud Arabes, quae etiam per Dal scribitur *giadaa*, vt hebr. *גַּדָּא* q) a quo etiam nonnulli nomen gesa deriuant, praeuia litterarum permutatione. r) s). Truncum cognominari truncum *Isai*, a Dauidis patre, qui plerumque *יִשָּׂי*, et *I Chron. II. 13* semel *יִשָּׂי*; a *τοῖς ὀ* et in N. T. *Ἰεσσαί* scribitur. Non intelligitur is in persona, sed familia, quia non ab illa, sed hac immediatè enasci debebat furculus. Vocatur alias domus Dauidis, h. l. vero denominatur ab Isai, qui stirps fuit prosapiae, quae primum in Dauide effloruerat, sed in posteris defloruerat, siquidem truncus Isai non simpliciter eius denotat familiam, sed quatenus illa sensim deminuta fuit, postquam ante fuerat amplificata. 6. Per radices eius non significari Patriarchas, prout sentiunt quamplurimi. Quamquam enim maiores aequiparentur radici, quando ea ramis opponitur *Rom. XI. 16. 17. 18.*; hic tamen, vbi trunco Isai conferuntur radices eius, vt ostendatur, vndenam proxime exitura sit virga, non possunt non innuere propagines domus Isaeae, seu Dauidicae, filios filiorum eius (Isai) vt habet Chaldaeus. Interpretatio haec, si ad metaphoram referatur, omnium est propriissima. Truncus enim est ante radices et radices extrunco nascuntur, non truncus ex radicibus s). Non incommode vero radices, quae plurali numero efferuntur, distributiue adiepiuntur pro quadam eius radicem t). Ex quibus pellucet, sensum prophetae hunc esse: veniet olim tempus, quo gens Dauidis de gradu dignitatis deiicietur, et ad incitas redigetur, vt eius nil quidquam superfit, praeter truncum et vnam alteramque radicem, homines ignobiles et contem-

(p) *Opp. T. II. ad b. l. p. 405. a.*

(q) J. C. CLODIUS *Lexico hebr. selecto p. III.*

(r) *Vid. der Prophet Iesaias nach dem Wortverstande betrachtet Part. III. ad b. l. p. 370: Gesa ist am füglichsten herzuleiten von gada succidit. Denn die Buchstaben Daleth und Sain werden sehr oft mitander verwechselt.*

(s) VITRINGA *Commentar. in Iesaiam Part. I. ad h. l.*, qui pluribus haec deducit.

(t) *Vid. D. GLASSIUS Philol. S. Gramm. Can. XXVII. p. 624. §.*

temtos. Hoc autem demum acuo et ex his prodire Deus pro sua gratia, potentia, et sapientia furculum illum eximium v. i., radicem *Isai* v. 10. voluit. Quis hic alius esse potest. sensu primo et litterali, quam Messias? textus, si vel in solo c. i. subsistam, eum vnice designat, nec alius ab eo diuersus ex trunco *Isai* exciso proditurus adlegari potest. Iudaei veteres, et *HIERONVMI* adhuc acuo omnes id agnouerunt. v) Nobis id confirmat interpretatio Sp. S. authentica *Rom. XV. 12.* (*) Qui reluctanter, eorum alii cauillantur tantum, vt von der *HARDT* x) et *SAM. PARVISH* y). Alii Messiam nullo sensu, sed vel *HISKIAM*, vel *SERVBABELEM* putari contendunt, vt Iudaei recentiores, quod profanum vulgus Rabbiorum confutat *ABARBANEL.* (*) Alii et plerique *HISKIAM* litteraliter; Messiam mystice et typice praedici credunt vt *GROTIUS*, y) et quotquot cum sectantur, in quibus etiam fuit *R. A. KORTÜM* z) Solus ferme *IVNGMANNVS* *Serubabelem* reuocauit a). Alii denique Messiam temporalem significari, sibi persuadent et nostrum saluatorem excludunt, vt *ABARBANEL* b). Qui Messiam litterali sensu admittere hic renuunt, partim contextum antecedentium vrgent, quasi Prophetae sint historici, et fata tantum ciuilia, et saecularia, eaque serie chronologica persequantur; partim voces captant, quas tamen non pro arbitrio, sed sensu biblico

- v) Testimonia collegit *REINBECK* Part. III. *Betracht. in A. C.* p. 78 sqq.
 (*) *CHRISTOPH. WITTICHIVS* inuestigatione *Ep. ad Roman.* p. 60. sqq.
 x) *Diff. qua Hiskias in Sigismundo resurgens ex Es. XI. illustratur* 1695. in quem 1696. *SEB. EDZARD* animaduertit. Vid. *GOETTENII* *gel. Europa* P. III. p. 537. sqq.
 y) *Inquiry in to the lewissch Lond.* 1739. Quem notauit *Ven. D. LILIENTHAL* Part. II. *der guten Sache* p. 705 sqq.
 (*) *D. VARENIUS* in *Isaiam* p. 285 sqq.
 y) *Annotat. ad h. l.* cui satisfecit *CALOVIVS* *bibl. illustr. ad b. l.* p. 72 sqq. et *HVETIVS* *demonstrat. euang. Propos. VII. n. XV.* p. 294. sqq.
 z) *In den Weissagungen Jesaias* 1709. p. 69. contra quem disputauit *MICH. BECKIVS* 1710. *Specim. controuers. Jesaian.* p. 37. sqq.
 a) *Daniele reserato* 1681. 1701.
 b) Vid. *VARENIUS* *Examine & Characterum Messiae ex Jes. XI. quibus R. Abarbanel probare voluit, J. Náz.* non esse verum Messiam, *disp.* 1. x657.

blico et prophetico, quo vocabula in se communia ad certum saepe subiectum restringuntur, et secundum catenam vaticiniorum sumendas esse, res ipsa docet. Ad legationi N. T. vulgo opponitur ad commodatio, ieiuna non minus, quam periculosa, quam nunc haud tango c). Habetis *Ciues optimi! Messiam Propheticum*, quem Moses et Prophetae litteraliter scripserunt. Gaudete eodem instar Philippi spiritualiter, Deumque celebrate pro gratia hac salutari, quae omnibus adparuit. Operam date, ut fide in corde res ipsa vim sentiat verborum cantici: *die süsse Wurzel Iesse*, ut fructibus, quos tulit, vobisque offert et adfert radix Iesse, continuo fruamini, et simul impleamini fructibus iustitiae, qui fiunt per IESVM CHRISTVM in gloriam et laudem DEI.

(c) HAMMONDVS et CLERICVS N. T. ad b. l. p. 106. 108., tacite WETSTENIUS N. T. T. II. p. 93.



P. P. SVB SIGILLO PRO-RECTORALI,
FER. I. NATAL. CHRISTI, A. MDCCLIV.



hoc autem demum acuo et ex his prodire Deus pro sua
 ria, et sapientia furculum illum eximium v. i., radicem *Isai*
 . Quis hic alius esse potest. sensu primo et litterali, quam
 ktus, si vel in solo c. i. subsistam, eum vnice designat,
 eo diuersus ex trunco *Isai* exciso proditurus adlegari pot-
 veteres, et **HIERONVM** adhuc acuo omnes id adgno-
 Tobis id confirmat interpretatio Sp. S. authentica *Rom.*
 Qui reluctantur, eorum alii cauillantur tantum, vt von
 x) et **SAM. PARVISH** y). Alii Messiam nullo sensu,
KIAM, vel **SERVBABELEM** putari contendunt, vt Iudaei
 quod profanum vulgus Rabbiorum confutat **ABAR-**
 Alii et plerique **HISKIAM** litteraliter; Messiam mystice et
 ici credunt vt **GROTIVS**, y) et quotquot cum sectantur, in
 fuit **R. A. KORTÜM** z) Solus ferme **IVNGMANNVS**
 reuocauit a). Alii denique Messiam temporalem signi-
 persuadent et nostrum saluatorem excludunt, vt **ABAR-**

Qui Messiam litterali sensu admittere hic renuunt,
 xtum antecedentium vrgent, quasi Prophetae sint historici,
 in ciuilia, et saecularia, eaque serie chronologica persequan-
 voees captant, quas tamen non pro arbitrio, sed sensu bi-
 blico

onia collegit **REINBECK** *Part. III. Betracht. in A. C. p. 78 sqq.*
TOPH. WITTICHIVS *inuestigatione Ep. ad-Roman. p. 60. sq.*
ia Hiskias in Sigismundo resurgens ex Es. XI. illustratur 1695. in
1696. SEB. EDZARD animaduertit. Vid. GOETTENII gel.
P. III. p. 537. sq.

in to the lexwifch Lond. 1739. Quem notauit Ven. D. LILIEN-
Part. II. der guten Sache p. 705 sqq.

RENIVS *in Isaiam p. 285 sqq.*

r. ad h. l. cui satisfecit CALOVIVS bibl. illustr. ad b. l. p. 72 sqq.

FIVS *demonstrat. euang. Propos. VII. n. XV. p. 294. sqq.*

Wzissagungen Jesaia 1709. p. 69. contra quem disputauit

BECKIVS *1710. Specim. controuers. Jesaian. p. 37. sqq.*

referato 1681. 1701.

ARENIVS *Examine X. Characterum Messiae ex Jes. XI. quibus R.*

mel probare voluit, J. Náz, non esse verum Messiam. disp. I. 1657.

